VII. CONSTAT autem quod idem sanctus vir, dum aduiueret, multas Sanctorum reliquias ad Aureliacum aduexit. Quippe, vt superius dictum est, istius causæ studiosissimus fuerit, & ad impetrandum quod vellet, non paruam gratiam à Deo habuerit. Inter cætera denique sanctorum chymilia, quæ illic habentur, est quoddam lignum Domini, cui talis virtus inesse frequenti experimento dignoscitur, vt si quis illud equitando portet, equus in breui moriatur: aut si periurium forte quis fecerit, *emptilentiscus fiat. Non pauci etenim iam propter hoc peccatum caduci facti sunt. Incolæ autem regionis illius mores valde ferinos habere solebant, sed aliquantulum exemplo vel reuerentia sancti hominis esse mitiores videntur. Cum autem fœdus, aut aliquod grande iuramentum iure decernunt, per quemlibet Monachum, aut clericum qui tamen pedester incedat, deferti sibi faciunt.

Nota virtutem ligni Domini.

* epilepticus

Supra Sanctorum reliquias iurare in fœdere fieri aliquis.

Miracul. ca. 14 Appendix ad Greg. Turon cap 54

Re magni mo enti frequentissimum antiquitus fuisse testatur Aymonius lib 4. cap 64 Greg. Turon. lib 4 hist. cap. 46 lib. 5 cap. 32. & lib 1.

VIII. QVIDAM sane de beati Geraldi gloria temere disputantes asserunt, quod ista curationum gratia, non meritis eius, sed istarum virtutibus reliquiarum conferatur. At nos causam diligentius considerantes, id credimus, quod ita per sancta illa pignora sanitatum beneficia tribuuntur, vt virtus quoque beati Geraldi cooperatrix non negetur. Nam hoc ipsa qualitas accidentium rerum credi suadet, quoniam ipse solet infirmis per visum apparere, & maxime ante eius tumulũ sanitatis beneficium conferre. Vt est de filio Ioannis videlicet *Aruennensis Vicecomitis, quem mutum & surdum, vna manu contractum ibidem detulit. Ante sepulcrum namque prosternens sese in orationem dedit. Nocte iam mediante, sanguis ab eius auribus erupit, manusque illius directa est, quam circa collum patris sanam expandit, & primam vocem emittens, panem ab eo quæsiuit. At ille gratias agens pro filio, totam Ecclesiam clamore compleuit, & quendam sui iuris alodum ad sanctum sepulchrum tradidit. Sane de isto nominatim commemoramus, pro eo quod miraculum in excellenti persona patratum, ad multorum notitiam peruenit. Dissimilia autem vel diuersa alterius generis, primo quidem ab incolis notabantur, sed cum numerus, immensus crescere, omissa est cura numerandi.

* Aruernensis.

Filius Ioannis Vicecomitis Aruernensis mutus, surdus & contractus restituitur.

IX. IN Aureliaço oppido ante fores Ecclesiæ erat epistilium, ex quo ille ascendere equum solebat. Quod videlicet cum infirmi ob eius amorem deosculantur, solent recipere sanitatem. Ob quam etiam causam nunc est ab incolis intra Ecclesiam transpositum, & in modum altaris palla coopertum. Non longe ab oppido quod rustici Mulsedonum dicunt, prædictus vir Dei casam habuerat. Porro oppidani mutuo condixerunt, vt mensam eius, quæ in prædicta casa adhuc erat, sibi ad reficiendum deferrent. Quod & fecerunt. Casu a vero ad frontem cuiusdam domus, hinc portitores proiecerunt. Cum super eam quidam veniente meridie dormire vellet, subito cœcus & amens effectus est. Deinde cum etiam canis eandem mensam calcaret, omnibus membris statim diriguit. Necdum tamen illis aduertentibus quidnam esset, alius itidem super hanc se proiecit, sed & ipse protinus cœcatus est. Tandem intelligentes, quin ob tabulam sancti viri frequenti eius refectione consecratam ista pertulerint, hinc ad Ecclesiam beati Martini, quæ propè est, linteo contectam deportauerunt. Quæ nunc vsque domatis ibidem suspensa comparet. Ad aliam eius mensam quæ erat in villa Vaxia, quidam Presbyter cum vicinis ad conuiuium venerat. Cumque sicut fieri solet, inter epulas gannirent, & verba ridicula vicissim immiscerent, subito pauor ingens ita omnes perculit, vt statim intermittentes scurrilitatem ad alium locum comesuri secederent. Mensam vero deportauerunt ad illud Oratorium, quod factum est in quodam loco, vbi feretrum portatores deposuerunt, ad mutandum pallium. Quo videlicet loco pecora circumquaque vagantia, cum fortè spaciolum illud vbi feretrum, sicut diximus, positum fuerat, pascendo contigissent, protinus tormentari incipiebant, & nonnulla moriebantur. Incolæ vero per id quod animalibus acciderat, causam intelligentes, ibidem prædictum Oratorium construxerunt. Quo dehinc certum est, quod pleriquè infirmi sanitatem sunt adepti. Præterea mirum quiddam & pene incredibile contigit, nisi quia vsu probatur. Nam fonticula ex tunc in eodem loco subbullit, quæ viantibus ad potum sufficiat.

Epistilium S. Geraldi, infirmi deosculantes, sanitatem recuperant.

a Mensam eius violantes qualiter puniti.

Mensa eius ad Ecclesiã S. Martini transfertur.

De alia itẽ eius mensa.

X. REINALDVS quem vir Domini suspectum habens, iuramento, sicut superius dictum est, adhuc viuens constrinxerat, illius iuramenti fidem rupit, & familiæ, quam Cœnobio delegauerat, nimis erat cum suis infestus. Singuli autem inter prædationes, quas patiebantur, nomen domini Geraldi inclamare solebant. Quadam autem nocte visum est ipsi Reinaldo, quod virum Dei sibi adstantem cerneret. Qui cum iuramenti fidem ab eo requireret, simul admonuit vt familiã vexare de cætero cessaret. Excitatus ille indicauit coniugi visionem. Quem & illa suadebat, vt commonitus iuramentum seruaret. Et ille compunctus ad horam suis idem retulit, præcipiens, sed ignauiter, vt familiam non inquietarent. Sed illi post paululum ad consuetam rapacitatem rediêrunt. Nec Reinaldus obsistebat, quia pronus erat ad malum. Et quamuis sanguine esset sancto viro propinquus, tamen ab eius pietate longè erat alienus. Tum itidem sanctus vir eidem minans apparuit, & quæ bona sibi fecisset, pro quibus ille mala reddebat, furibundus exprobrauit: atquè percutiens eum in capite, è vicino mortem sibi sequuturam comminatus est.

Reinaldi visio postquã familiam S. Geraldi infestaret.

XI. IN Prouincia quæ Alamannia vocatur, nobilis homo erat obsessus à dæmonibus. Parentes vero & milites sui per multa pignorũ Sanctorum ducebant eum, vt saltem per eorum intercessionem diuina gratia liberasset. Sed distributor omnium bonorum, qui electum suum glorificare disposuit, hanc virtutem ei reseruauit. Nomen vero beati viri in ipsa Prouincia necdum auditum erat. Prædicti autem Parentes, dum eum ducerent ante corpora Sanctorum, dæmones sæpius clamabant, de eius corpore se minimè exire, nisi per intercessionem beati Geraldi. Tunc iidem parentes dæmoniaci huc illucque discurrebant, si vel Prouinciam audissent, in qua beatus Geraldus esset. Et nescio aut Romei, aut quilibet peregrinus indicauit eis Prouinciam & locum. Qui festinè ad Aureliacum venerunt. Mox vt venit ante sepulchrum, clamare cœperunt dæmones per eum obsessum, O Geralde, inquit, vt quid illudis nos? Vt quid ardemus tua virtute? Qui mox cecidit in terram, & euomuit eos vna cum sanguine. Ex illa hora, & deinceps incolumis mansit.

Dæmoniacus ad sepulchrum eius liberatur.

MARTYRIVM S. COLMANNI SCOTI, MARTYRIS AVSTRIACI, SAPHICO CARMINE CONSCRIPTVM à IOHANNE Stabio, Maximiliani primi Imperatoris historico.

ANN. 980.

13. OCTO. S. Colmannus Scotus è stirpe regia.

It Hierosolymam.

AVSTRIÆ sanctus canitur patronus
Fulgidum sidus radians ab Arcto,
Scoticæ gentis Colomannus acer,
Regia proles.
Ille dum sanctam Solymorum ad vrbem
Transiit dulcem patriam relinquens,
Regios fastus, trabeam, coronam,
Sceptraque tempsit.
Propter & Christum peregrinus exul,
Factus in terris alienus vltro,

Cælicam pura meditatus aulam
Mente, fideque.
Dumque diuersos populos pererrat.
Rheticas tandem veniens ad oras,
Naue sanctum Danubius recepit
Gurgite vastus:
Perque formosas segetes, per agros
Deuehit lætos & amœna prata,
Perque colles vitiferos secando
Norica rura.
Mirus in sanctis Deus es deorum.
Ille terrenam Solymam requirit,
Tu sed æternam tribuis supremo
Martyri olympo.
Austriæ terras agitabat amens
Tunc furor, fortes Morauos, Bohemos,
Pannones bello simul implicabat
Inferus hostis.
Ergo dum sanctum hospitio recepit
Oppidum nostro Stokherau vocatum
Patrio ritu, male tentat illum
Dæmonis astus.
Spargit in turbas odiosa dicta
Prodet [a] hic vestram speculator vrbem:
Credidit vulgus, trahitur nocentis.
More, modoque.
Iustus, & vinctus manibus catenis,
Et pedes pressus grauibus catastis,
Intrat horrendum tenebris situque
Carceris antrum.
Cæditur [b] virgis sine fine martyr,
Vritur corpus crepitante flamma:
Septies Christus probat hoc talentum
Igne manuque.
Nec quies vlla est: satanæ minister.
Forpice ignita faber infidelis
Vellicat carnes, vorat ossa duræ
Lamina ferræ,
Sæuus [c] vt nullam necis inde causam
Tortor inuenit, male iudicatus
Innocens, intermedios pependit
Ecce latrones.
Mox sui Christus famuli reuelat
Gloriam signis, memoranda quæ sunt
Seculis cunctis, veneretur omne vt
Martyr in æuum.

[a] o explorator capitur ac male accipitur

[b] Virgis cæditur, & igne torquetur.

Psal. 67.

[c] Ann. 1010. crudeliter suspendio necatur, Vide Bar. hoc anno. Multis claret miraculis.

Hucusque tantum habuit Codex, vnde hæc descripsimus. Desunt autem adhuc nonnulla.

De eodem Cuspinianus in Austria & Ditmarius lib.7. vbi sub finem ista: Ipsa arbor diu arida in qua suspensus fuerat floruit, & hunc Christi martyrem esse monstrauit.

An.1010. MARTYRIVM SEPTEM FRANCISCANORVM DANIELIS, SAMVELIS, ANGELI, DONNI, LEONIS, NICOLAI ET HVGOLINI, A SARACENIS OCCISORVM ANNO CHRISTI MILLESIMO DVCENTESIMO vigesimoprimo, Habetur in Vinea S. Francisci Teutonice scripta, vnde id Latinè conuertit F. Laur. Surius.

13. Oct. Vt habet Martyrol.

Pro ficiscuntur ad Saracenos.

† Septa Mauritaniæ Tingitanæ vrbs est Palam illis prædicant Christum. Male tractantur ab eis.

I. FRATER Daniel Minister prouinciæ Calabriæ, vir fuit admiranda sanctitate, & martyrio illustris. Is cum sex fratribus ordinis sancti Francisci, Samuele, Angelo, Donno, Leone, Nicolao & Hugolino, impetrata facultate ab Elia generali Ministro, beatissimi patris Francisci Vicario, è Tuscia in regionem Saracenorum profectus, ad vrbem † Septam peruenit. Vbi cum triduo mansissent apud mercatores Pisanos, Genuenses & Massilienses, verbum Dei prædicantes in vico quodam extra vrbem Christianis mercatoribus assignato: sabbato inde sequenti peccata sua inter se confessi sunt, & sacrosanctam Eucharistiam admodum reuerenter perceperunt. Vespere autem inuicem sibi lauerunt pedes, commemorantes eam Christi charitatem, qua ille, cum esset rerum omnium præpotens Deus ante passionem suam lauit pedes discipulorum suorum, seque mutuo piis sermonibus confirmabant & animabant. Mane die Dominico cinerem capitibus imponentes, fidenter in ciuitatem ingressi sunt, confitentes Dominum nostrum Iesum Christum, & docentes palam, in eo solo nostram constare salutem. Atque ita in mediam progressi vrbem, arguebant gentilium cæcitatem, eisque viam veritatis indicabant. Illi vero iniectis in eos manibus, comprehenderunt illos, & ad Regem suum adduxerunt, interim cædentes, flagellantes, irridentes, & conuiciis eos proscindentes, Rex vt est conspicatus rasos pilos capitum eorum, illosque fidenter & feruenter eloqui, insauire eos putabat: at iussit tamen illos vinciri, & octiduo hac ratione affligi.

Promissis & minis tentantur.

II. OCTAVO inde die, cum essent in eius conspectum producti, sciscitatus est, num dicta sua reuocare velint: & abnegato Christo, Saracenorum complecti fidem. Illis id plane recusantibus, suaque dicta magis etiam confirmantibus, differtisque verbis asserentibus, nullam eis salutis spem reliquam esse posse, nisi in Christum credant, & baptizentur: singulos iussit separatim examinari, multasque eis amplas promissiones offerri, si Saracenis morem gerere velint: quod si nolint, acerbissimæ necis minas eis intentari. Sed illi præclari amici Dei, nulla fraude se passi sunt à sancto proposito reuocari, sed per gratiam Spiritus sancti in sua fide constantes permansêre. Id animaduertens iudex Arbaldus, ait ad Danielem Ministrum: Quid ita mori appetis, homo stultissime, & tum præsentem, tum futuram vitam perdere? Beatus Daniel, sublatis in cælum oculis, ita ei respondit: O inueterate dierum malorum, tu potius reuertere ad viuum & verum Deum, Dominum nostrum Iesum Christum, qui hucusque male deceptus & euersus fuisti erroribus satanæ & maledicti prophetæ tui Mahometis. Tum iudex ille iussit districtos in eos enses vibrari, vt terrore frangerentur. Cernens autem nihil eos commoueri, sed in sua sententia animo obfirmato perstare, capite eos puniri præcepit.

Iubentur plecti capite.

III. Mox fratres sex ad pedes Danielis Ministri prolapsi, cum lachrymis dixerunt: Gratias agimus Deo & tibi pater, quod ad martyrij percipiendam coronam perducti sumus. Nunc ergo benedic & bene precare filiis tuis. At ille vir sanctus complexans singulos, & pie admodum exosculans, eis bene precatus est, omnesque confortans, ita ait. Gaudeamus omnes in Domino, diem festum celebrantes. Adsunt enim nobis Angeli, cæli ianua patet nobis, & hodie ipso die pariter accipiemus martyrij coronam in gloria cælestis paradisi. Ducti inde sunt in aulam Regis, & prorsus nudi educti sunt, vt gladio ferirentur. Ibant autem illi gaudentes summopere, Dominumque cum ingenti animi alacritate laudantes, perinde ac si ad opiparum essent inuitati conuiuium, Vbi autem ad supplicij locum ventum est, submiserunt ceruices suas, & Domino animas suas commendantes, capitis amputatione martyrij coronas adepti sunt. Sacra autem illa capita comminuta sunt, & corpora misere discerpta à pueris & Saracenis. Postea vero collecta sunt à Christianis, & honorifice tumulata Alfondegæ. Porro regis Lusitaniæ filius magnopere ea sibi donari postulauit, magni beneficij loco ea habiturus. Impetrauitque ea, & in Hispaniam transtulit, vbi Deus per merita illorum multa efficit miracula in honorem & gloriam suam, vti in dies magis magisque comperitur. Vulgus hos sanctos reuerenter inprimis habet, eorumque imagines in templis reponens, quotannis solennitatem illorum celebrat die * octauo mensis Octobris.

Eunt iucundis animis ad mortem.

Cæduntur capite.

* Alfondegæ

IV. ID vero animaduertentes patres Franciscani, sanctos ipsorum tanto in honore apud plebem haberi, cum ipsi nullam eorum commemorationem facerent, quod tamen minime eos deceret, adeo illorum fidei & honoris

ipsos